



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

III. Libri. Pars I.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)

TERTIVS LIBER,
QVI INSTRVIT RELIGIOSVM
contra aduersarium. Et complectitur qua-
tuor partes. In quarum prima ostenditur,
quod multum tentetur mundum relinquen-
tes, & quod daemones tentent homi-
nes, & hoc per duo ca-
pitula.

CAPVT I.

Quod multum tententur mundum relinquentes.



STENSO quomodo qui in religione est, se debeat habere ad mundum, & ad corpus proprium, nunc agendum est de tentationibus, quæ multum solent vexare nouitium. Persecutus est Pharaon magno exercitu filios Israëli, qui recesserunt ab eo. Spiritus immundus multum desiderat redire ad domum unde exiit: & ut illi, qui eum contempsit, possit præualere, assumit septem spiritus nequiores se. In deserto tentatur Saluator. *Glos.* In deserto fit tentatio: quia non ante hostis se erigit, quàm homo de mundo exit. Ideo accedenti ad seruitutem Dei dicitur; *Præpara animam tuam ad tentationem.*

Exod. 14.

Matth. 12.

Luc. 11.

Glos. ord.
circa initi-
um, cap. 4.

Lib. 8. cap.
10. à med.

Ecclesiast. 2. Gregorius in Moral. Lu-
 cem rectitudinis, vmbra se-
 quitur tentatio-
 nis.

Quid

Quòd demones tentent homines.

CAPVT II.

Circa tentationes ostenditur primò, quòd demones impugnant & tentant homines. Secundò, quòd tentationes amicis Dei sunt vtilis. Tertio, ostenduntur modi impugnandi quos tentator habet. Quarto, quibus modis qui tentatur, repugnare debet. Ostensio primi multum est necessaria. Cùm enim demones sint inuisibiles, eorum pugna est inuisibilis, nec sensu corporali percipitur: imò oportet vt ad lumen fidei oculis cordis manifestetur. Ignorantia huius impugnationis periculosa est. Non enim repugnat, qui se impugnari ignorat. Bernardus. Diabolus, quem videre non possum, *In med. ca.* & ideo minus cauere, tetendit arcum suum, *14. ante me dium.* & in eo parauit sagittas suas: narrauit vt absconderet laqueos, & dixit: Quis videbit eos? Hieronymus: Tunc maximè impugnaris, cùm te impugnari nescis. Grande periculum est, iuxta se habere hostem suum, & nescire hoc. Circa primum notandum, quòd impugnatione, quam diabolus facit homini, certificari potest ex tertio capite Genesis: Vbi serpens mulierem decepit: vbi etiam Dominus ostendit Dæmonis impugnationem esse duraturam, dicens: Inimicitias ponam inter te & mulierem: & semen tuum & semen illius. Secundò, ex libro Iob 1. & 2. capite vbi sathan petiit à Domino, vt daret ei licentiam flagellandi Iob. Item: Matth. & Lucæ 4. vbi legitur, diabolum tentasse Dominum. Et secundum Augustinum assum-

assumpsit formam humanam : quod permittit Dominus, vt tentatio ista certior fieret. Item, ad Corinth. 7. Reuertimini in idipsum, ne tentet vos sathanas. Et Ephes. 6. Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principes & potestates tenebrarum harum. Et, Cur tentauit sathanas cor tuum? Et de beato Martino legitur, quod diabolus multoties apparuit ei in forma humana. Similiter de beato Antonio, cui apparuit in forma pueri nigri : & in forma animalium diuersorum generum. Simile legitur de multis aliis Sanctis.

Actor. 5.

SECUNDA PARS HVIVS TERTII
vno tantum clauditur capitulo. In quo ostenditur,
quod tentationes amicis Dei multum
sunt vtilis.

CAPVT I.

CIRCA secundum notandum, quod tentatio est multum vtilis. Bernardus: Necessesse est vt tentationes veniant. Quis enim coronabitur, nisi qui legitime certauerit? Aut quomodo certabit, si desit qui pugnet? Quid mihi cum victoria : si nec in praelio fui? Impudentissimè mihi arrogo vel gloriam sine victoria : vel victoriam sine pugna. Tentatio primo erudit. Armorum experientia militibus est necessaria. Militia est vita hominis super terram. Hæ sunt gentes quas reliquit Dominus, vt in his erudiret Israëlem. Qui non est tentatus, quid scit? In eodem. Qui tentatus non est, quid scit? Secundò, humiliat; & sic à præcipitio superbia

*Serm. 64.
super Can.
in prin.*

Job. 7.

Job. 3.

Eccl. 34.